

REGIS POLONIÆ

Ad Literas

TVRCARVM IMPERATORIS,

ET LITERÆ

Ad

MAGNVVM VESIRVM.



ANNO dñi 1629, V.

C O P I A

*Litterarum à Serenissima Regia Majestate ad Imperatorem
Turcarum, de dat. Varsau 15. Novemb. 1623.*



ERTI MV MJAM supra trigefimum annum, sceptrum atque solium hujus Regni feliciter tenemus, totoque eo tempore æquè cum pacatis vicinis, pacis atque amicitiaè studiis, ac cum inquietis & pacis osoribus armis certavimus; Boni ac sapientis Principis esse rati, & in pace atque amicitia tuenda constantem, & in propulsanda injuria fortem & bellicosum apparere. Vtrumque enim id summus ille Dominus ita temperavit, ut & pacis atque amicitiaè fœdere societas humana propageretur, & armis ab injuria & noxa vindicaretur. Hinc Numinis sui religione, pacta & fœdera sacrari, Principesque amicos inter se sacrosancto jurisjurandi nexu stringi voluit, ut pacis & amicitiaè jura infringere possit nemo, quin Divinum Numen, sacraque & prophana omnia jura violentur. Probè id ac præclare divi utriusque nostrum Majores intelligebant, & ob id inter nos tot seculorum decursu amicitia mutua & constans vigeat, pax & concordia florebat, bonæ vicinitatis commoda & ornamenta crescebant. Et quam ipsa Imperiorum vicinitas odiorum plerumque fomes, Tartarorum & Kosaccorum latrocinia, malevolorum & pacis osorum invidia, bellorum ausam præberent, plus tamen apud nos valuit fides & religio, quàm ulla inimicitiarum bellorumque incendia. Hinc inclyti illi & clarissimi Imperatores & præsertim magnæ virtutis & nominis Solymanus, non minus pacis cum Regno nostro sacrosanctæ cultæ, quàm rerum gestarum gloria floruerunt, tantumque illis ad victorias & triumphos Othomanicum Imperium proferendum amicitia Polonorum profuit, quantum fortassis recens bellum, contra pacta & fœdera à prædecessore Serenitatis vestræ illarum obfuit. Hinc cum Vngariam Germaniamque vicinas Regni nostri Provincias felici victoria peragrarent, & cum Imp. Romanis Hungariæque & Bohemiæ Regibus bella gererent, honori sibi & commodo inter tot victorias ac trophæa ducebant, Regni hujus amicitiam divino quodâ instinctu, ab ipsis Othomannici Polonicique Imperii incunabilis ritè sancitam, sanctè culram, ac velut per manus longa secu-

seculorum serie usque ad nostra tempora porrectam ; Atque eam nos, cum ad fastigium Regni hujus feliciter assumpti sumus, unà cum Imperio à Serenissimis prædecessoribus iuviolatam, integram florentemque accepimus, & ita cum Serens. Machmet Sultran Serenitatis, vestrà Avo, & Serenis. Achmet Sultam Patre, servavimus, ut in summa animorum conjunctione, mutuaque & constanti concordia, cum ipsis semper vixerimus. Neque equidè studium hoc in bonis ref. ixit, verùm pari affectu obliteratis odijs, fatali quorundam temeritate accensis, pacem atque amicitiam cum Serenitate vestra inclyraque domo Othomannica colere optamus. Quod ut & Serenitati vestrà & Orbi palam faceremus universo expediveramus anno superiore ad Serenitatem vestram magnum Legatum & Oratorem nostrum, qui fædus cum Serenitate vestra renovaret, syncerumque & pacis studiosissimum animum nostrum Serenitati vestrà coram aperiret. Quod ille strenuè & graviter pro eo ac ipsi injunxeramus fecit, tabulasque perpetui fæderis ex formula antiquorum fæderum ritè confectas, nobis à Serenitate vestra attulit ; Quas nos lubenti & grato accepimus animo, easque itidem nostra ex parte sacramento regio firmare & approbare, ac easdem servare & manu tenere volumus. Quam mentem & voluntatem nostram, pacisque & amicitia studium, aperuimus statim Serenitati vestrà per egregium Lucam Serebkovic subditum nostrum, ad portam Serenitatis vestrà nuper eam ob causam ablegatum, ut de promptissima nostra erga Serenitatem vestram prorsusq; fraternam voluntate eam edoceret ; & nonnulla in pactis Legato nostro datis, quæ contra vetustissimorum pactorum præscriptum in illa errore Cancellariæ irrepsent, corrigi à Serenitate vestra flagitaret ; atque eam quoque ob causam nunc Gnosum Serenitatis vestrà Caussium ad nos cum literis missum sine pactis remittimus, cum nondum præfatus Lucas Serabkovic à porta Serenitatis vestrà redierit. Verùm ubi is venerit, per alium Caussium, qui cum Legato huc venerit, pacta authentica, jurejurando nostro de more firmata & stabilita, Serenitati vestrà mittemus, ac eadem constanti & sincera fide, nostra ex parte, tuebimur. Itaque moram hanc Serenitas vestra in bonam partem accipiet, nec quicquam sinisterum & à mutua amicitia pactorumque fide alienum de nobis suspicabitur. Cum sanctè Serenitati vestrà affirmamus, nos paci atque fæderi cum Oratore nostro nuper sancito stare velle, nihilq; prius nihil antiquius habere, quàm amicitia & bonæ vicinities jura intacta ac illibata nostra ex parte conservare ; dummodo Serenitas vestra, uti nobis polli-

cemur, idem præstet, Tartarosque, qui post fædus cum Oratore nostro iustum
 aliquot incursionibus ditiones Regni nostri infestarunt, in officio contineat,
 temerarium eorum ausum contra pacta, severa animadversione castiget,
 captivos restitui & damna resarciti jubeat, & ab incursionibus hujusmodi in
 posterum eos cohibeat. Nos itidem Cossaccos ditioni & imperio nostro subjectos in
 officio continebimus. omnemq; occasionem, quantum in nobis erit, violanda pacis atque
 amicitia præcidemus, amicique amicis, inimici inimicis Serenitatis vestræ erimus. Ne-
 que necessariam arbitramur eam de Bethlem Gabor Transylvaniae Principe,
 quam nobis Serenitas vestra per literas innuit cautelam: Transylvaniae, Mal-
 daviae, Valachiae, Palatini, cum Imperio Serenitatis vestræ subsint, nihil sibi
 hostile, dummodo sese pacatè & amicè gerant, à nobis metuant. Serenissimus
 Avus & Pater Serenitatis vestra cum bellum contra Roman. Imperatorem Rudolphum
 gererent, qui cum nobis par necessitudo intercedebat, clarè experti sunt, quam studiosè
 rebus ipsorum favissemus, nullaque in re amicitiae fæderumque cancellos trans-
 gressi, pacem & concordiam utrinque optassemus. Idem sibi quoque de no-
 bis Serenitas vestra polliceatur absque his cautionibus, quæ vetustis pactis
 & fæderibus adversantur. Cui pax & amicitia cordi est, non indiget ullo con-
 ditionum nexu, sit modò, prout nostra ex parte erit, sincera inter nos amici-
 tia, talisque qualis inter Serenissimos & potentissimos majores nostros flo-
 ruit, non deerit utrinque nostrum pacis tuendæ & conservandæ studium.
 Cæterum sicut Serenitati vestræ omnem felicitatem atque gloriam à ter Opt.
 Max. precamur, ita ex animo cupimus, ut quàm diutissimè in mutua amici-
 tia, pace & concordia vivamus.

Datum Varsaviae 15. Novembris, Anno 1623.

Sacra Regia Majestas Supremo Vespiero.

Illustris Princeps, &c: post reditum magni Oratoris nostri à porta Serenissimi Imperatoris, quò ipsum renovandi fœderis, amicitiaque restificandæ causâ legaveramus, expeditivimus statim ad Sereniss. Imperatorem & Illustritatem vestram egregium Lucam Terebkovic subditum nostrum cum literis. Quibus nunciavimus Legatum nostrum Constantinopoli saluum & incolumem rediisse, & fœderis tabulas ritè confectas nobis attulisse, easque nos lubenti & benevolo animo acceptasse, gratasque & raras habere velle, nonnullis duntaxat exceptis, quæ errore quodam contra formulam antiquorum fœderum & pactorum, mentemque ac scitum Oratoris nostri, utpote linguæ Arabicæ ignati, in hæc quæ attulit pacta, inserta sunt. Cùm verò idem Serebkovic nondum redierit, & interea dum ipsum præstolamur, alter Serenissimi Imperatoris Generosus Chauvsius ad nos cum literis & suæ Serenitatis & Illustritatis vestræ venerit, dandas per ipsum has ad Illustritatem vestram duximus, tum ut gratiam & benevolentiam nostram Regiam Illustritati vestræ uti viro integerrimo, & nobis Regnoque nostro, prout ab Oratore nostro accepimus, amicissimo, eximiaque prudentia spectatissimo, restaremur, tum ut moram hanc quam in expediendo cum pactis suæ Serenitatis Chauvsio, ob tardiores Lucæ Serebkovic à porta reditum, fieri molestè ferimus, purgaremus, syncerumque nostrum animum, & pacis & amicitia studiosum, Illustritati vestræ aperiremus. Equidem toto eo triginta septem annorum tempore, quo feliciter regnamus, cum Serenissimo Machmet Sultan & Serenissimo Achmet Sultan, Sereniss. Imperatoris Avo & Patre, pacem atque amicitiam sanctè coluimus: dumque illi cum Imperatore Romanorum affine nostro bella gererent, nosque omnes *penè Reges & Principes Christiani in societatem* belli contra eos gerendi sollicitarent, nullis unquam aut necessitudinum vinculis, aut rei benè gerendæ occasionibus, aut aliorum Principum persuasionibus, ab amicitia sereniss. domus Othomanicæ avocari potuimus, quin rebelles esus Michaëlem & Bozuanum cæterosque armis domuimus. Et non modò nunquam contra serenissimam, domum Othomanicam manum armatam extendimus, verum *etiam pro ea cum rebellibus pugnavimus*; quique sua rebellione & perfidia graves esse videbantur, nostri armis succubuerunt. Nec mirum si nos divitiæ majores nostri sic constantes in eo-

lenda cum serenissima domo Otthomannica amicitia semper fuimus, cum pari syncera atque integerrimæ voluntatis affectu nobis Serenissimisq: maioribus nostris Regibus Poloniæ, Sereniss. Imperatores semper respondissent, tantique pacem & amicitiam cum Regno nostro fecissent, *ut contra ipsius hostes, & præsertim Moschos, sapinus auxiliares copias misissent.* Nam id magnus ille & perpetua memoria dignus Imperator Solimannus, Magno itidem Poloniæ Rege Sigismundo primo præstitit, dum ipsum contra Moschorum Tyrannum auxilijs iuuit, æternaque suæ erga Regnum Poloniæ amicitia re & scriptis reliquit monumenta. Expendebat nimirum magnus hic Imperator, cæterique ante & post ipsum Impeeatores, has duas gentes, *ut habitu & armis esse similes, ita animorum atque amicitia vinculo consociatas esse debere, viderique cordi esse Deo ipsi pacem & concordiam inter nos; Utque in nulla hominum seculorumque memoria odiis aut armis inter se decertassent, sed perpetuam quandam & sacrosanctam amicitiam semper coluissent.* Rarum profectò in tanta vicinitate, totque odiorum atque dissensionum occasionibus, quas partim Tartarorum partim Cosacorum licentia subministrat, constantis amicitia exemplum, divinoque magis quam humano consilio attribuendum. Cui contraire, summæ & impietatis & infelicitatis illi magni Imperatores reputabant, atque ob id domi militiaeque florebant, nomenque, gloriam ac Imperium domus Otthomannicæ, pacem cum Sereniss. Poloniæ Regibus servando propagabant. Atque utinam eandem mentem & sapientiam Deus Opt. Maximus recens defuncto Imperatori dedisset, nunquam certè tot seculorum decursum stabilita, tot Imp. diplomatibus ac iurejurando firmata atque sacrata pax, rupta ac violata fuisset, domusque Otthomannica *melioribus auspiciis* antiquorum Imperatorum virtutem, gloriam, felicitatem hucusque retinisset. Sed hæc omnia pace divinitus restituta, reflorescent, felicique postliminio cum illa redibunt utriusque imperij decora ac ornamenta universa. Quare restat ut divinitus conciliatam pacem atque amicitiam ambo sincero animo amplectamur. Quod quidem de nobis sanctè conscij sumus, de Serenissimo quoque Imperatore idem nobis persuademus; præsertim cum talem supremum natæ sit Officialem & Consiliarium, qui sedato maturæ mentis sensu, excelsoque iudicio ac sapientia polleat, præclareque intelligat, quàm firmum sit cuiusvis Imperij præsidium & propugnaculum, pax & amicitia cum pacatis & amicis vicinis tam constanter & syncerè culta, quàm sanctè & religiosè firmata & jurata. Porro quod attinet authenticorum pactorum iurejurando

jurando nostro Regio stabilitum, id per generosum Serenissimi Imperatoris
Chausium transmitti mandabimus, ubi Lucas Serebkovvic à porta suæ Se-
renitatis redierit, nobisque ea retulerit, quæ ipsi de corrigendis nonnullis
punctis, quæ vetustissimis pactis, ac fæderibus adferantur, apud Illustrita-
tem vestram expedienda mandavimus; Et præsertim de Principe Transyl-
vaniæ Bethlem Gabor. de quo contra formulam antiquorum pactorum,
mentemque Oratoris nostri mentio fit in pactis. Sic enim nobis ille retulit,
se, cum in consilio magno expediretur, in quo etiam Illustriss. Dominus Mus-
seniam, supremus Religionis & Sacrorum præses, ad Bethlem Gabor respon-
disset; *Indignum esse, ut mancipia in pactis & fæderibus Monarcharum contra morem
& institutum antiquorum includantur,* cum sufficiat Provincias utriq; subjectas
eorumque Palatinos vel Præsides pactis comprehendere; aut assensum ul-
lum præbuisse, ut de Bethlem Gabor novo & inusitato modo mentio in pa-
cto fieret; Verùm tum inter eum & Illustritatem vestram convenisse, ut si
acciderit alterutri partium bellum cum aliquo hoste gerere, Sereniss. Impera-
tor per Chausium nobis id, nos vero Serenissimo Imperatori per nuncium
nostrum significare deberemus, & tum neuter hosti auxilia subministrabit.
Cum qua declaratione utrinque probata ex consilio illo discessum, de eaque
nobis statim idem Orator noster per literas significavit. Verùm Cancellarius
Illustr. vestræ nescimus quibus Gaborij artibus inductus, clausulam hanc
de ipso in pacta, in scio Oratore nostro & linguam Arabicam minimè callen-
te, inseruit: Quod ille in itinere primum adhibito interprete, quo ille ibi ca-
rebat, advertit, & ad Illustr. vestram statim perscripsit, contra assensum &
voluntatem suam hanc de Bethlem Gabor cautelam in pacta irrepsisse. Ea-
dem de re scripsit ad Illustritatem vestram iterato ex Transylvania, ac demum
ex Polonia per Lucam Serebkovvic subditum & nuncium nostrum. Itaque id
quod in Consilio magno cum Illustritate vestra instituit, firmo & constanti
animo tenere & observare volumus. Non quod aliquid contra Bethlem Ga-
bor, aut alium quempiam suæ Serenitatis tributarium & subditum molie-
mur, sed ut novitatum, quæ plerumque nocivæ sunt, occasio præcidatur, neve
Oratorum & Legatorum gesta & placita inter Principes, quorum personam
sustinent, in damnum aut vilipendium vel errore vel malevolentia aliorum
invertantur. Equè nos Transylvaniæ atque Moldaviæ ac Valachiæ aliarum-
que suæ Serenitatis Provinciarum Palatinis, pacis, amicitia & bonæ vicininitatis
studia præstabimus, nec novis eam in rem indigemus cautelis, dommodò ipsi
quoque

quoque pacatè & amicè se gerant. Serenissimusque Imperator tam illos
quam Tartaros, qui aliquot incursionibus post decessum Constantinopoli Or-
ratoris nostri, fœdusque istum, ditiones Regni nostri infestarunt, in officio
contineat, mutuisque pacis & amicitiaj studijs & officijs nobis Regnoque
ostro respondeant. Cæterum animùm & voluntatem nostram luculentius
illust. vestra ex literis nostris ad Serenissimum Imperatorem scriptis intelli-
get, operamque sua prudentia, fide & integritate dignam navabit, ut recens
istum fœdus, quod nos sanctè tenere & observare volumus, nullis Tartaro-
rum incursionibus aut alio quovis pacto infringatur & violetur. Quo no-
mine Illustritas vestra eximiam prudentiaj atque integritatis laudem apud
omnes, uberrimum benevolentiaj Regiaj apud nos fructum feret. Cui de cæ-
tero prosperrimos rerum successus precamur, propensissimæque voluntatis
nostræ Regiaj studium benignè deferimus. Dat. Vars. 1623.